



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. VIII. Integerrima corpore est. Integritas mentis ac corporis B. V.
Mariæ exquisitis argumentis, & Patrum præclaris dictis adstruitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS VIII.

Cum Maternitate Virginitas Mariæ inviolata permansit.

Exordium.

Sicut cum virginitate angelicâ, aliarum fœminarum concertat virginitas, ut asserit S. Bernardus episcopus, 20. ad Henricum. *Virginitas soror est Angelorum.* Ita virginitas Mariæ, angelicæ virginitatis conditionem transiens, concertat quodammodo cum virginitate Sanctissimæ ac Individuæ Trinitatis, quæ à D. Gregorio Nazianzeno in Carm. de Virg. appellatur: *Virginum prima Trias.* Quia licet illa non est sterilis, uti puritas angelica, sed Pater æternæ generatione producit Filium, cum fœcunditate virginali, & fœcundâ virginitate: ita Mariæ virginitas sterilitatem ærum Virginum non admittit, sed simul purissima Dei Genitrix fuit, & fœcundissima Virgo, id quod insinuavit S. Bernardus. ferm. in fig. mag. cum dixit: *Sola hæc est Beata Dei para, in cuius virginitas, & maternitas obviaverunt sibi.* Neque virginitatem violavit maternitas, sed stetit semper in Mariæ cum maternitate Dei inviolata virginitas, quam, ne nos impug-

SS. Patres.

violemus, dignissimis SS. Patrum sententiis comitabimur. *Stulte, unde sordes in Virgine Matre? ubi non est concubitus cum homine Patre: unde sordes in eâ, qua nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem?* defendit fœcunditatem Mariæ virginitatem cum maternitate. S. Augustinus lib. 4. de hæresi. cap. 5. Et iterum: *Non concupiscentiâ carnis, sed obedientiâ mentis concepit. Crevit partu integritas, & virginitas ampliata est potius, quam fugata.* collaudat Virginem S. Fulgentius. ferm. de laud. Virg. *In tuo conceptu, in tuo partu non vit pudor, & aucta est castitas, integritas roborata est, & inviolata virginitas.* perorat pro Virgine S. Petrus Chrysologus.

S. Augustinus.

S. Fulgentius.

S. Petrus Chrysologus.

Cum maternitate virginitas Maria inviolata permansit, 51

ferm. 122. Inviolata virginitas concupiscentiam nescivit, materiam ministravit, assumpta est de Matre, Domini natura, non culpa. Stat pro Virgine S. Leo Papa. Fuit sine corruptione ^{S. Leo Papa.} fecunda, sine gravidine gravida, & sine dolore puerpera. Subscribit virgineo lacti S. Bernardus, serm. 4. de Assumpt. & ad ^{S. Bernardus.} dit: Unum est, in quo nec primam similem visa est, nec habere sequentem, gaudia Matris habens cum virginitatis honore. Concludit tandem discursu sapientissimo S. Anselmus, lib. de ^{S. Anselmus.} Excell. Virg. Beatissima Virgo fuit specialiter benedicta supra omnes mulieres, nam aliqua mulieres, inquit, sunt benedicta, quia Virgines, sed non sunt fecunda, aliqua vero sunt fecunda, sed non Virgines. At vero Beata Virgo fecunda fuit Dei Mater, & Virgo inviolata permansit in ævum, hanc proinde humilibus frequentibus obsequiis, & obtenta Spiritus S. gratiâ fecundis Conceptibus, Virginem supra omnes mulieres benedicamus.

CONCEPTUS I.

Tametsi legatio gloriosissima fuerit omnium, quæ à Deo ^{Confirmatio, seu Deductio.} infinitæ Majestatis, per Archangelum, pro negotio adeo desiderato, tot suspiriis postulato, universo humano generi tam grato, & accepto, tamque ardentem ab ipsamet Virgine expectato, expediri unquam potuit; ipsa tamen Virgo, teste S. Lucâ Evangelistâ, mox, ut cœlestem legatum vidit, & audivit, turbata est in sermone ejus. Lucæ. 1. cap. Quid amplius desiderare poterat sacratissima Virgo, quam ut Mater Dei fieret? omnium sæculorum miseras, universi generis ruinas restauraret? cur ergo turbatur? respondent SS. Patres. Turbatio ista, nec imperfectionis fuit, nec culpa, sed admirationis, & verecundia virginalis. ait Dionysius Carthusianus in Lucam. Turbata est, eo quod benedictam se audisset in mulieribus, qua nimirum benedicti in Virginibus optabat. perorat S. Bernardus, serm. de Ver. Apoc. Cum vidisset Virgo Angelum viri speciem præferentem, turbata est, neq. enim à viris saluta est, aut allocuta. scribit S. Hieronymus. epist. ad Eustochiam. Turba-

ta est in sermone eius, etenim viris colloqui nunquam assuetum sonant verba. S. Joannes Damasceni orat. de Dormit. & V. Ex quibus prudenter licet colligere, quod si SS. Patrum testimonio, B. Virgini viros intueri, viris colloqui, nullatenus placuit, si species viri Mariæ tam fuit ignota, ut obeam, vel Angelo representatam turbata fuerit, eam cum viris continentium non habuisse, multò minus ullum mortaliū carnaliter cognovisse, quin potius immaculatam semper Virginem permansisse, statuendum est. Sed quæsit, dicat de seipsa, huiusque testimonium verissimum reddat.

CONCEPTUS II.

Diligentiam omnem Archangelus adhibuerat, ut in morem de corde Virginis excuteret, ne tamen legationis muneri deesset, concepturam annuntiavit. *Ne timeas Maria invenisti enim gratiam apud Deum, ecce concipies in utero, & paries Filium*, Lucæ. i. cap. Cui autem Virgo reposuit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Num Virgo dicitur Archangeli non credidit? aut de possibilitate concipiendi verbum dubitavit? Absit. Mariam non latuit, Virginem naturaliter Filium parere non posse, quin antea virum carnaliter cognovisset, cum ergo Virgo castissima non modo virum carnaliter non cognoverit, verum etiam virginitatem Deo se perpetuam devoverit, quomodo fieri possit, ut salva virginitate conciperet, & pareret Filium, interrogavit. Sic quærentem inducit S. Ambrosius lib. de Abr. cap. 8. *Cum id, quod natura est, non suppetat, quia non solet parere Virgo, quæ non fuerit copulata, quæro, quomodo præter instituta naturæ possim generare?* Quæstionem hanc Marianam fufus deducit S. Thomas de villâ novâ, conc. i. de Annunt. *Miratur supra modum, fieri se Matrem, quæ illi jam pridem virginitatem suam perpetuò devoverat; pro suâ ergo virginitate sollicita, non de Oraculo dubitans, sed tanta rei modum inquirens, sic fatetur. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quæ verò tam de præterito, quam de præfenti intellige. Vides igitur

Mariam semper Virginem, etiam suo ipsius testimonio, virum non cognovisse, quin & ipsum Dei Verbum, non nisi salvâ, & indemni ejus virginitate concipere voluisse. O castitatem tam inter Angelos, quàm inter homines inauditam! digna, cujus decorem concupisceret Dominus, quàm virtus Altissimi obumbraret, de cujus Spiritu Virgo conciperet, & pareret Filium Dei, Mater, & Virgo.

CONCEPTUS III.

Repetitis vicibus, hortum conclusum sponsam suam nominat sponsus. Cant. 4. cap. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus. Ut quid hortum suum tam sollicitè conclusum vult sponsus? habent hoc Magnates, & Monarchæ hujus mundi, ut magnis sumptibus hortos deliciarum sibi præparent, eosque ne deflorentur, concludant. Meliori Jure hortum deliciarum, Mariam Virginem, rarissimis virtutum floribus abundantem præparavit sibi specialissimè Deus cœli, & terræ, eumque ab accessu peccati, & sathanæ, conclusum voluit, ne defloretur. Ita S. Bernardus. in Deprecat. ad Beata[m] Virginem. Hortus deliciarum sacratissimus tuus uterus, ô Maria! hortus conclusus tu es, Dei Genitrix, ad quem deflorandum manus peccatoris numquam introivit: tu Sanctorum areola aromatum, à cœlesti confita pigmentario, virtutum omnium speciosis floribus delectabiliter vernas, inter quos pulcherrimos flores, tres miramur in te, ô excellentissima! hi sunt quorum odore suavissimo totam domum Domini replet, ô Maria! viola humilitatis, liliu[m] castitatis, rosa charitatis, merito Dei areola, flos ille speciosus, præ filiis paradisi electus est, super quem requiescit Spiritus Domini. Hortus conclusus Mater nostra, sponsa Spiritus S. hortus conclusus Mater inviolata.

CONCEPTUS IV.

Gloriam ac decorem Virginis Dei Matris, in prophetico suo spiritu prævidit. Isaias, cap. 35. Gloria Libani data est ei, inquit, & decus Carmeli. Quid præ reliquis montibus, hi duo

montes, Libanus, & Carmelus, gloriæ ac decoris Virginitatis didere? respondet Theophilaëtus in Matth. *Symbolum virginitatis erat mons Libani, candidus semper propter constantem nivem, quâ cooperiebatur: Maternitatis vero Symbolum erat mons Carmeli, copiosus semper abundans fructibus.* Maria Virgo simul, & Mater esse prævisa est, ideo fecunditas Carmeli, maternitate Dei Virginem decoravit, & niveus candor Libani, virginitate inviolatâ Deiparam glorificavit. *Per albedinem nivis figuratur innocentia, & puritas immaculata Virginitatis, que nunquam fuit maculata, vel denigrata per aliquod peccatum: erubescant ergo illi, qui hanc nivem candidissimam, nigram quandoq; fuisse ostendere conantur.* subjungit Bernardinus de Busto. in Marial. part. 9. serm. 2. in festo Nivis.

CONCEPTUS V.

In sacris Canticis cœlestis sponsus Mariam comparat in Iogranato dicens: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicearum cum pomorum fructibus.* Cant. 4. cap. v. 13. Quid mysterio his malis latet? de hac admirabili arbore refert Alexander de Lamalus discurs. 39. & cum eo Naturalistæ, quod, cum præcipit fructus, non dimittit, aut rejicit à se flores instar aliarum arborum, sed eosdem retinet, ut speciosam deinde ex his efformet coronam, quâ plurimum adornatum est malum puniceum. Comparatione hac itaque annuit sponsus, quod quando Maria Virgo, arbor hæc mystica, à cœlesti hortulano plantata, produxit fructum vitæ æternæ Jesum Christum, non dimisit, aut perdidit florem virginitatis suæ, sed eundem illam conservavit, & intactum, & sic fuit Virgo, & Mater, quæ aliis non contingit mulieribus, quæ desideratum edentes proli fructum, necessariò florem virginitatis deperdunt, Virgines enim simul, & matres esse nequeunt; soli Mariæ Virginitas reservata fuit hæc gratia, quæ pariendo Christum Dominum immaculata permansit Virgo, ideoque gloriabatur dicens *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Unde S. Gregorius

Nyssenus. in orat. de Nativ. Christi Domini, præcellam B. Virginis demirans dignitatem, & prærogativas exclamat. O miraculum ingens! *Virgo Mater fit, & Virgo permanet; in aliis feminis, quamdiu virgo aliqua est, mater non est, cum autem mater facta fuerit, virginitatem non habet: hic verò virginitas, neg. partum prohibet, neg. partum virginitatem solvit.*

CONCEPTUS VI.

Uterum Virginis comparat cœlestis sponus acervo tritici vallato liliis. Quæ connexio lillii cum tritico? lillium candidum, quod suavem spirat odorem, juxta S. Ambrosium de Instit. Virg. cap. 1. & S. Bernardum serm. 2. de Assumpt. virginitatis est Symbolum; & triticum, quod est fœcundum, nutrit, & pascit, maternitatis signum est. *Venter tuus, sicut acervus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. Nam Maria non est passa, quod aliæ solent mulieres, quæ concipientes flore virginitatis privantur, sed fructu maternitatis Dei gavisâ est, & flore simul puritatis virginalis coronata. Firmat Conceptum hunc Hugo de S. Victore serm. 55. *Hic fructus solus est, qui Matris suæ florem non abstulit, sed consensavit, ac venustavit.*

CONCEPTUS VII.

Mariam Virginem Dei Matrem repræsentat regius Psaltes. in psalmo suo 44. canens: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Deauratam quidem intrinsecus, & extrinsecus, Dei arcam novimus, non tamen circumdatam varietate; ut quid ergo viva Dei arca, cœli teraque Domina, non solum in vestitu deaurato, sed etiam circumdata varietate, à dextris Dei astitit? inter Græcos, ut dicit S. Gregorius Nazianzenus. orat. 11. in Cant. Puella Virginis signum erat, portare vestem purissimo intexam auro; feminæ verò Matris, signum erat vestimentum ornatum, & variegatum; quia ergo Maria ita Dei Mater facta est, ut purissima

rissima simul, & inviolata Virgo permanferit, ideo in vultu
deaurato, circumdata varietate astitit à dextris Dei. *O magnum
Sacramentum!* exclamat S. Zeno. ser. 2. de Nat. Christi. *Maria
Virgo incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, post partum
Virgo permansit.*

CONCEPTUS VIII.

Curfu quidem naturali inviolata Mariæ virginitas facile
capi nequit, claro tamen lumine vera, & fecura fides comprehendit,
Matrem Dei Virginem incorruptam. Sic fides dicitur
Christum Deum verum, & Hominem obserato aditu, figuram
lapide de sepulchro exiisse, & januis clausis ad discipulos con-
gregatos introjisse, neque tamen apertam januam, vel etiam
figillum lapidis, vel in minimo læsum fuisse, de quo non est
qui dubitet Christi fidelis; an ergo non meliori jure, non
Deus Homo claustrum Mariæ virginale cooperante Spiritu
Sancto intrare, & de eodem sine ullâ violatione per fetus
partum potuit exire, ut, quam in Matrem præelegeret, Vir-
ginem pro condigno conservaret, ut Scriptura adimpleta
in quâ sub typo portæ, sive januæ clausæ præfigurata est S. Ma-
ria, Virgo Dei Mater per Ezech. Prophetam cap. 44. dicitur
Porta ista clausa erit principi, & per eam Princeps egredietur.
Super quæ verba scribit S. Amadeus. homil. 4. *Per hanc non
rum Princeps Regum terra, Christus egressus est, quam suis
ingressu non aperuit, sic in egressu non patefecit: pertran-
sivit in pace, & semita ejus non apparuit: & si miraris, clausa
Maria, signatâq; virginali pudicitia Deum natum, mirare, quæ
clauso, obseratoq; aditu sepulchri, ad Superos rediit, & clausa
januis ad discipulos introiit.* Elegantiùs adhuc conclusit
Ambrosius. lib. de Instit. Virg. cap. 7. *Quæ est hac porta
Maria? ideo clausa, quia Virgo: Porta igitur Maria, per quam
Christus intravit in hunc mundum, quando virginali suis
partu, & genitalia virginitatis claustra non solvit; mansit
semeratum septum pudoris, & inviolata integritatis durans.*

Cum maternitate & virginitas Maria inviolata permansit. 57

*signacula, cum exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus
sustinere non posset.*

*Thuribulum aureum, Beatam Mariam semper Virginem, Epilogus;
Dei Matrem intitulat S. Germanus Patriarcha Constantino-
politanus. orat. de Nat. B. V. Ave aureum revera thuribulum
intelligibilem aromaticum, in quo spirituale thymiama composi-
tum, Christus ex divinitate, & humanitate, in Deitatis igne
diffudit odorem animæ & suæ carnis. Ad hoc thuribulum au-
reum recurramus, ut fetorem peccatorum nostrorum dimit-
tentes, Christi bonus odor efficiamur, unanimi igitur voce su-
spirantes ad Matrem misericordiæ, clamemus exules filii Evæ,
cum Joanne Damasceno, ex Menæis Græc. 14. Febr. apud
Simon, Vagnerek in Pietat. Maria. Græcor. num. 259. Tam-
quam thuribulum aureum, carbone divino refertum, cordis mei
fetorem, in suavem fragrantiam muta; O qua etiam in puerpe-
rio sola semper es Virgo! Amen.*

Virgo, de stirpe David, quam partus non violavit,

Pura columba Dei! qua so memento mei.

Jesum pro me ora, præsentis, & mortis in horâ,

Ut procul hostis eat, ne violare queat.



h

DI